

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

V.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

V.

S. D. Reverende vir & amice carissime!

DEI adhuc beneficio in Ecclesiis harum regionum ^{ἀλλοτρίαι} sunt. Et ut diuturna sint, faciat filius DEI. De vestris à te aliquid expecto literarum. Salutem opto vobis omnibus. Reverendo D. Hedioni, Domino Jacobo Sturmio, & Joanni Sturmio. Nunc enim plura scribere non potui. Bene vale. Die 13. Maij.

Philippus Melanthon.

VI.

SD. A Glocero nostro cum rogaret, ut literas ad vos darem, Reverende Domine Doctor, etsi ægre ferebam, nihil esse, quod dignum vestrà prudentiâ & eruditione scribere ad vos possem: Tamen amico & viro pio obsequi volui, fretus vestra humanitate & amicitia nostra, quæ etiam inanes literas æquo animo accipiet certo scio. Cupit autem M. Glocerus meo testimonio vobis fieri commendatior, quem tamen scio à vobis jam ante diligi. Hic certè ita se gessit, ut carus multis fuerit, & docendo fideliter & feliciter egregium specimen præstantis ingenii & laudabilis profectus in studio artium linguarum, & doctrinæ cælestis præbuerit. Quare optarim, eum per vos gubernatoribus Ecclesiarum vestrarum commendari diligentius. Quod ad nostras res attinet, est Academiae status mediocris, sed tamen adhuc semper ut fuit hætenus, incertus, itque nunc eo magis, quod ad belli vicini incendium, quod jam ferme annum arsit, accedit nunc annonæ magna difficultas, & morborum initia, ejusmodi se ostendunt, quæ solent pestem plerumq; antecedere. De concilio nostri hoc concluderunt tandem, quod velint aliquos mittere. Sed certum nondum est, quos ablegaturi sint. Vellent parcere Domino Philippo, ituro haud dubie cum summo periculo, si invenirentur, quos ipsius loco possent in re tam ardua satis tuto substituere. Conscripta jam forma est confessionis, quam exhiberi harum Ecclesiarum nomine, curabunt Synodo. Eam non hujus tantum ducatus superintendentes, sed aliarum etiam Ecclesiarum pastores, docti & sapientes viri magno consensu approbarunt. Eam sunt exhibituri, si ad distionem causæ suæ non admittentur, quod verendum est. Optandum esset omnes Ecclesias, quæ repurgatam Evangelii doctrinam profitentur, in certa forma confessionis consentire, ut fortius postea dimicare contra communes hostes Evangelii queant, non impediti aut debilitati intestinis distractionibus, quæ quantum hætenus cursui Evangelii obstiterint, res
osten-